



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opusculvm, De Vitis  
Romanorvm Pontificvm**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Mogvntiae, 1602**

XCII. S. Gregorivs III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**

A.DCCXXXI.

## S. GREGORIVS III.

**G**REGORIVS, natione Syrus, ex patre Ioanne, sedit annos 10. menses 8. dies 20. Hic fuit vir valde mitis, & in diuinis litteris bene instructus, & græca latinaq; lingua pleniter eruditus. Hic in Synodo resiliens omnes illos anathematis vinculo innodauit, qui antiquæ Ecclesiasticæ consuetudini aduersantes Sanctorum imagines venerati contemnerent. Hic ordinavit Episcopos 80. presbyteros 24. diaconos 3.

## XCIII.

A.DCCXLII.

## S. ZACHARIAS.

**Z**ACHARIAS, natione Græcus, ex patre Polychronio, sedit annos 10. menses 3. dies 14. Huius temporibus KARLOMANUS filius \*Karlomanni Francorum Regis præsentis vitæ gloriam & potestatem relinquens, clericatus iugum Romæ ab ipso Papa suscepit. Deinde ad montem Cassinum peruenit, ibique facta iuxta morem professione professionis habitum deuotè suscepit. Eiusdem Papæ temporibus Ratechisus rex Longobardorum regalem dignitatem relinquens à prædicto Papa detonsus monachico habitu cum uxore & filiis induitur. Hic ordinavit Episcopos 35. presbyteros 23. diaconos 6. Hic in Synodo constituit, vt Episcopi cum mulieribus omnino non habitent, & presbyteri, vel diaconi subintroctas mulieres nullo modo secum audeant habere, nisi matrem, & illas, quæ suspicione effugiunt, alioquin gradus sui priuentur honore. Item statuit, vt Episcopi, presbyteri, diaconi secularibus indumentis minimè vtantur, nisi, vt condecet, tunica sacerdotali: sed neque dum ambulauerit in ciuitate, aut in via, aut in plateis, sine indumento præsumat ambulare, nisi in itinere longo ambulauerit, quia sacerdos incedens sine operimento sibi congruo sacerdotium suum deturpat. Quod si præsumperit, communione priuetur, donec, quæ statuta sunt, adimplere maturet. Item, vt presbyteri & diaconi non vtantur monacha, vel etiam spirituali commatre. Nam qui huiusmodi opus perpetrauerit, sciat se anathematis vinculo obligatum, & Dei iudicio condemnatū, atq; à sacro corpore & sanguine Dn. nostri IESV Christi alienū statuēte Apostolica censura. Et quicunq; sacerdotum talibus communicare præsumperit, eorum confortio condemnatus sacerdotii sui honore priuetur. Si

\*Caroli Mar  
tell.